

DISERTACION  
SOBRE LA UTILIDAD Y NECESIDAD  
DE LA LENGUA LATINA

PARA LOS MEJICANOS QUE SE DEDICAN  
A LAS LETRAS Y A LAS CIENCIAS

Y SOBRE EL METODO QUE DEBE SEGUIRSE  
PARA ENSEÑAR Y ESTUDIAR CON PROVECHO EL MODO DE TRADUCIR  
LOS AUTORES DE DICHA LENGUA, ESCRITA EN LATÍN

POR EL PROFESOR

HONORATO IGNACIO MAGALONI

PARA EL CONCURSO DE OPOSICION A LA PLAZA  
DE PROFESOR DE LATÍN EN LA ESCUELA NACIONAL PREPARATORIA  
DE MEJICO.


PA2093

M34


c. 1

UNIVERSIDAD DE MEXICO  
BIBLIOTECA NACIONAL DE  
MEJICO.  
IMPRENTA DE ANCONA Y PENICHE,  
Calle de Alfaro núm 13.  
1871.

744



A portrait painting of a man with a mustache, wearing a dark suit and white shirt, standing in front of a large, ornate golden structure.





1080019732



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

# DIRECCIÓN GENERAL DE

**Utrum lingua latina utilis vel necessaria sit mexicanis scientiis et litteris operam dantibus, quaque methodo tyronibus sit tradenda.**

## DISSESSATIO.

Otium sine litteris mors est et  
hominis vivi sepultura.

Sen. ep. 28.

1

Quum scientiae naturales unanimiter, anatome praesertim, physiologia et zoologia, maturiusque hominis cum physici tum intellectualis et moralis examen alte clamaverint, evidenterque demonstraverint unam eamdemque cunctorum hominum esse naturam originemque; ecce, quae, in nationum divisione, quae late super orbis superficiem errant vel manent, illustrantur vel torpescunt, crescunt vel corruunt, tanta morum varietas et discrepantia appareat, ut una silvestris, alia barbara, haec demum culta appelletur? Non alia certe hujus differentiae ratio assignari potest, quum eaedem sint omnium hominum facultates viresque, nisi scientiae, litterae humaniores liberalesque artes quas quidam sane populi omni studio excolunt, alii vero tanquam bruta animantia incultu et socordia negligunt. Et hic juvat illud Senecae, quod tanquam dissertationis epigraphen assumpsimus, repetere: *Otiu[m] non[est] mors est, et hominis vii sepultura.*



Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria

005944

42959

Praeclarum culturae specimen nobis praebet Graecia antiqua, quae licet angustis circumscripta limitibus, immensisque orientalibus regnis comparata vix percipi quiret, illa tamen universa omni doctrinae disciplina et sapientiae laude longe antecelluit.

Post Graeciam Roma, quae gloriae fastigium non quidem armis solum attigit, sed legibus sapientissimis, disertissimisque scriptis ingenio elaboratis omnique sapientia refertis, quae nobis summi ejus viri sive prosa sive versu transmisere.

Sed hominem, quacumque demum in terrae plaga extet, eadem essentiali ingenii vi pollere nemo inficias iverit. Hinc nulla gens, nullus populus a scientiae et litterarum cultu natura excluditur; scientia enim et litterae patrimonium commune reputatur. Attamen ut unius nationis doctrinae inventaque caeterarum gentium commune fiant beneficium, aliquo vehiculo opus est, quod aliud esse non potest nisi lingua aliqua; quam certe neque latinam, neque graecam, neque gallicam, neque aliam quamcumque exclusive esse oportere contendimus. Quocumque enim idiomate explicari queunt hominum cogitationes; licet novae et sublimes.

Siquidem si factum attendere velimus, certiores fiemus modum primo invaluisse, postquam romani omnes fere Europae provincias partemque Asiae imperio tenuissent, ut eorum lingua, nempe Latii, in toto romano imperio adhiberi, omniaque civilia negotia eadem confici coepta sint. Clarissimi ergo viri qui aliqua doctrina in illo imperio florerent, inventaque sua aliis patefacere scripto autumarent, latine scribebant. Qui usus non cessavit quidem nec post ruinam imperii romanij, et consequentem linguæ latinae corruptionem, introductionemque diversorum aliorum idiomatum quae passim in Europa meridionali vulgo adhibentur. Et hoc ad finem usque saeculi decimi octavi anterioris obtinuit; unde merito lingua latina tamquam universalis sapientum habebatur; ita ut quisque sola illius et propriae vernaculae cognitione scientiae litterarumque thesauros patefactos haberet.

Verum sub finem superioris et initium hujus saeculi commotio politica quae in Gallia orta est, omniaque pene Europæ regna subvertere visa, gallicam linguan una cum armis longe la-

teque diffudit; unde novus in Europa mos gallice scribendi, postposita veteri latini sermonis consuetudine. Sed gallica lingua inops per se, vocum naribus excruciatrix, et saepe auribus ingratia ditissimam et harmonicam Latii linguam fuit supplendo impar. Adde exterarum nationum sapientum susceptibilitate factum esse ut quisque ad proprium vernaculum idioma appellaret ita, ut germanus germanice, anglice anglus, italicus italice, hispanus hispane cogitamenta dictare, typisque tradere incepit. Ex quo Babel in Rem publicam litterariam fato nescio quo inducta. Novimus quam arduum sit ei qui profundius perscrutari velit abdita scientiarum secreta a recentioribus eruditis scripto consignata, quinque vel sex idiomata europaea, magno temporis et laboris jactura, dura necessitate ediscere. Nonne multo commodius erat latina uti lingua tamquam universalis doctorum? Negari quidem non potest; attamen ea est vis usus qui in contrarium invaluit, ut ariolari plane videretur, qui pristinam latinae linguae consuetudinem diversarum regionum sapientibus renovandam propinaret.

Ex superius allatis inferre posses, nullam nunc temporis utilitatem, vel saltem necessitatem pro mexicanis praeseferre studium linguae mortuae, quae cum iamdiu cum honore sepulta sit, praecipua enim latinorum scriptorum opera in vernaculae linguis translatâ habemus, extorris a Reipublicae collegiis mittenâ est.

Pluribus equidem non egeo ad demostrandum quam utilis sit, et etiam necessaria adolescentibus mexicanis, qui aliquod litterarum curriculum percorrere velint, linguae latinae cognitio.

## II.

El primo quidem utilem dico. Nam indubius extat thesaurus cum philosophiae, tum eloquentiae et amoeniorum litterarum, quem nobis praeclarissimi viri latine tradiderunt, uti Cicero qui multis in generibus, praesertim in oratoria oratione et philosophia excelluit; inter historicos Julius Caesar, C. Sallustius,

Cornelius Nepos, Titus Livius, Vellejus Paternus, Quintus Curtius, Cornelius Tacitus; inter rhetores Quintilianus; inter historicos naturales Plinius Secundus major; inter philosophos Lucius Annaeus Seneca; complures inter poetas, uti P. Virgilius Maro qui facile ab omnibus latinae poeseos princeps appellatur; Quintus Horatius Flaccus, qui ingeniose, splendide et luculentlyrica scripsit carmina; inter dramaticos Terentius, tersissimae latinitatis auctor, et Plautus, ambo comici; inter tragicos Seneca, cordubensis, L. Annaei Senecae filius. Hic artem tragicam ignorat quidem, ampullata sunt ejus carmina, latinitas vero non ignobilis. P. Ovidius Naso, amoenus vates, copiosus et illaborata facilitate gratus. Et post eos Catullus, Tibullus, Propertius, Phaedrus in quo natus quidam latini sermonis lepos elucet, aureo Augusti saeculo dignus; Martialis celebris epigrammatum scriptor. Inter Patres Ecclesiae D. Hieronymus, Tullii stylum egregie imitatus, praesertim in suis epistolis, et Lactantius qui Cicero christianus appellari solet, adeo nitida et eleganti latinitate utitur. Demum sexcenti alii, cum antiqui, tum recentes, qui licet non omnes ad bona latinitatis saecula pertineant, tamen propter puritatem locutionis et uberem eloquentiam praestantioribus latinis scriptoribus non inferiores videntur.

Hos omnes hic enumerare supervacaneum, quamvis aliquos absque menda praetermitti non posse existumem. Tales sunt Politianus et Sannazarius inter recentes vates, qui eclogas Virgilii et Tibulli elegias imitati egregie videntur; talis est celebris Martini nuper Medicinae professor in Regio Taurinensi Athenaeo, qui suo eloquenti tractatu de Hygiene novi Celsi cognomen assequutus est; talis Famianus Strada qui bellum flandricum eleganter descripsit, P. Maffei cuius historia de Indis Commentariis Julii Caesaris proxima extat; Stephanus Morcelli quem Martiale dices vel C. Julium Obsequentem propter nitidissimam suarum inscriptionum latinitatem; ex gallis P. Juvencius, auctor Artis poeticae et aliorum opusculorum; Cardinalis Polignac qui musam latinam perbelle meditatus est in suo Antilucretio; xe

mexicanis Didacus Joseph Abad qui venustum de Deo, Deoque Homine poema edidit, et P. Alegria, cuius quamvis opera non noverim, attamen tanquam optimus latinitus scriptor mihi fama traditur. Huic enumerationi finem imponam illustrem professorem eloquentiae latinae in praefato Taurinensi Athenaeo memorans, nuperrime, temporibus meis, docentem, Boucheron nomine, patria Sabaudum, quo audiendo, Ciceronem ipsum tibi audire videbaris.

Nunc vero rem levius perpendenti patebit incassum hos omnes praeclarissimos viros summo ingenio et ornate dicendi arte praeditos laboravisse; ni sit qui opera illorum ne primoribus quidem labiis libare intentet. Nec valet asserere satis superque esse si quis versiones eorum operum in linguam vernaculaam perlegat. Etenim versiones, licet ab eruditissimis viris peractae, non tamen semper ad originale exactae, plerumque aliud omnino auctor intenderat, referunt. Uberiorem igitur fructum in literario campo excerptes, si aquam qua irrigatur, ad caput fontis potius, quam si ad extremum rivuli haurias.

Evidem vernaculis versionibus hucusque satisfieri non sunt visi eruditi sapientesque viri omnium cultarum nationum, Italiæ, Hispaniaæ, Germaniaæ, Galliaæ, Angliaæ, Lusitaniaæ, Dalmatiaæ, Poloniaæ, Hungariaæ, caeterorumque ex iis oriundorum populorum (inter quos et mexicanos quidem adscribi oportet) (1): qui omnes indiscriminatim pleno ore magnam linguae

(1) Cualquiera que haya visitado la Escuela Nacional Preparatoria de Méjico, á la que tengo la honra de pertenecer como profesor de Italiano, y las demás escuelas de Bellas Artes, de Minería, de Agricultura, de Comercio, de Jurisprudencia, de Medicina, que con justa razon puede competir con las primeras de Europa y el Conservatorio de Música; quienquiera haya asistido á las lecciones orales, que dan al público todos los domingos en las aulas de dicha Escuela Preparatoria, de Física el profesor de Matemáticas D. Manuel Contreras, de Zoológia nuestro respetable director D. Gabino Barreda, de Química el ilustrado profesor D. Leopoldo Rio de la Loza ya célebre en las Universidades de Europa por su descubrimiento del ácido lozídico, sin mas deseo ni ventaja que el de difundir y despertar entre sus conciudadanos el amor á la ciencia, no podrá sino formarse una idea favorable de la civilización y adelantos del pueblo mejicano.

latinae utilitatem et agnoscunt et fatentur; dum omnes plus vel minus in suis scholis et collegiis, quae ad studia ad majores scientias praeparatoria instituta sunt, formosam Latii linguam tyrones suos edoceri volunt. Norunt enim experimento proprio, quam copiosam materiem in omni eloquentiae genere scriptores latini suppeditent, quae ad ingenium acendum, ditandum, nobilitandum inservit; quantum sive leporis, sive gratiae, sive gravitatis, sive venustatis et concinnitatis eorum dicendi formae praeseferant, ita ut vel aliud agens eorum studiosus vel sibi stilum pedetentim efformet vel expoliat non solum ad scribendum latine, sed etiam vernacula sua lingua. Ex quo non mediocri voluptate in se ipso experietur quod Tullius de se asserit, lib. 2 de Oratore, nempe: "Ut cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob caussam ambulem, fieri natura tamen (solet), ut colorer; sic cum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studio sius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi colo rari."

Unde merito Seneca, ep. 64, antiquitatis scriptores tanquam parentes colebat, asserens: "Quam venerationem parentibus meis debeo, eamdem illis praceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt." Notatu quoque dignum est quod hac de re addit Quintilianus, lib. 12, cap. 11: "Tot nos praceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi aetas felicior, quam nostra, cui docendae priores elaboraverunt." Quae quidem nostrae multo magis quam Quintiliani aetati consona esse patet.

Novi nonnullos hac nostra aetate sciolos potius quam scitos, et quosdam alios, viros ceteroquin scientia et eruditione praestantes, sed falsa veri apparentia turpiter hallucinatos, matrem hanc linguam velut inutilem aut superfluam publicis scholis extrudere attentavisse. Attamen eos meminisse velim verba gravitate plena, quae acerrimus Reipublicae Cisalpinae tribunus, Hugo Foscolus, vir latinae, graecae et italicae linguae peritis simus, in comitiis Lugduni in Gallia coactis Napoleoni I, tunc Gallicae Reipublicae Consuli, eorumdemque comitorum praesi-

di audacter dirigere non dubitavit: "Nunquam tot saerilegia perpetrarunt, nunquam tantum auri et humani sanguinis de glutivere druidae omnium aetatum et religionum; quot scele ribus sitibundam animam foedaverunt ministri illi, magistratus cupidique proconsules quos ad nos misisti." et alio in loco: "Etiam linguam Latii, unica nobis veteris Romae haereditatem relictam, nobis eripere praetendunt barbari illi". (1)

Interea admonitos vellem studiosos vernacula lingua scribere intendentes non serviliter quidem, sed prudenti oeconomia latinos scriptores sibi imitandos proponere oportere, ne id ipsis, ac primis italicae vel hispanae linguae scriptoribus, contingat; nempe ut illorum scripta licet selecta et pura locutione exarata, nimirum tamen periodorum protractione, verbo principali ad earum calcem Latii more rejecto, et intemperanti hyperbaton usu, quae idioma italicum et hispanum propter defectum declinationis vix ferre valent, duriora quandoque facta sint et confragosa, saepe obscura, et ut plurimum fastidiosa. Quod periculum facile praecaveris, si latinorum studio hispanorum etiam classorum lecturam affingere non praetermittas.

Aliud beneficium, et quidem non leve recentiorum linguarum, et praesertim hispanae cultoribus eveniet, si ad convertenda, ut par est, in vernaculam linguam bona latinitatis scripta animum viresque intenderint; quamvis ipsi latine scribere non prae sumant. "Hoc versouis exercitum," ut optime observat italus philologus, (2)" non tantum ad servandum exquisitum sanae lit

(1) Ugo Foscolo, Oraz. a Bonaparte pel Congresso di Lione.—Non tanti forse sacrilegi tentarono, non tanto oro ed umano sangue i druidi di tutte le età e di tutte le religioni impianente beveano....., di quale scelleraggini compiacquero la sitibonda loro anima i tuoi ministri, i pallidi magistrati, i ladri proconsoli da te inviatici. Ed altrove: Anche la lingua del Lazio, unica eredità lasciataci dall' antica Roma, vogliono toglierci questi barbari.

(2) Napione, Dell' uso e dei pregi della lingua italiana, lib. 3, cap. 1 § 8. A conservare il gusto della sana letteratura, ed a sostenerne ad un tempo lo studio giovevole della pura latinità, v'ha pure un altro spediente; il quale mentre mantiene in vita l' affezione, la stima, lo studio delle lingue

teraturae judicium, et ad sustentandum utilissimum purae latinitatis studium, verum etiam ad roboranda, ditanda venustioraque reddenda recentiora idiomata mirabiliter juvat. Homines superficie tenuis litteris imbuti, prosequitur ipse, quique cum praeclaras archetyporum dotes, tum diversitatem idiomatum ignorant, traductores non litteratos, sed litteratores ducunt. Sed sane aliter doctus ingeniosusque comes Magalotti opinatur, qui ad Filicajam scribens ferme ei quae situm proponit: "Utrum scilicet potius videatur bene componere de proprio, quam bene de alieno vertere." Quod idem confirmat ex criticis gallis sagax liberalisque Remond de S. Mard (1), cuius haec ferme sunt verba, nempe, cum agatur de exquisitis litteraturae operibus, tantudem non solum ingenii pollere oportere traductorem, quanto auctorem, sed etiam speciali dono hujus cogitata diuimandi. Quod certe summam difficultatem facessit, praesertim cum is qui vertit ab auctoris aetate valde distet. Unde alias eruditus philologus, Bettinelli, (2) exposita varietate in-

antiche, giova mirabilmente ad invigorire ed a rendere più doviziosi e più belli i linguaggi moderni, e questo è il tradurra a dovere i classici. Gli spiriti superficiali e coloro che non conoscono né le bellezze degli originali, né la diversità degl' idiomi, riguardano i traduttori come letterati di second' ordine. Non così pensava il dotto ed ingegnoso conte Magalotti, il quale scrivendo al Filicaja, per poco non gli propose il quesito: Qual sia maggior pregio, o il compor bene del proprio: o il tradur bene di quello d'altri.

(1) Oeuvres de M. Remond de S. Mard, T. III, Lettres philosophiques.

(2) Bettinelli, Opere, T. VIII.—Un Proteo esser dovrebbe il traduttore per trasformarsi in mille guise dietro l'autore, originale nello stile, nel pensare, ma sopra tutto nel prenderne l'anima tutta che l'avviva e l'inspira, ond' essere lui stesso per ben farlo parlare in altra lingua. Or chi presumerà di aver l'anima di un Omero o di un Virgilio? Quanto più si sarà studiato di copiar l'esemplare parola a parola, linea a linea, allora appunto sfugge il suo spirito, il valor suo. Deesi per altro riportar nella copia il proprio dell'espressione, il fino della sintassi. E con tutte queste fatiche le traduzioni saran sempre poco più che il rovescio di un arazzo o di un ricamo, la stampa di un quadro, una luce riflessa, un'ombra ed un velo attraverso cui vediamo l'autore sempre di color languido, sempre annuvolato, sempre minore di lui. Onde, più decisivamente del Magalotti asserisce, più facile è il compor bene, che il tradurre, il lavorar del suo e sul suo con libertà, la qual vien negata da altri dipendendo.

genii et cognitionum in traductore requisita, et summa difficultatum quae rectae traductioni opponitur, terminanter concludit, *facilius esse bene componere, quam vertere*, et opus elaborare de proprio ea cum libertate illi denegata qui ab alio pendet.

Versio tamen, ut recte accurateque fiat ab eo tantum intenta-ri debet qui utramque linguam perfecte calleat, suam videlicet et auctoris. Insuper regulam a Cicerone traditam sequi conetur, qua cum servilem subjectionem textui, tum intemperantem libertatem vitet, ita ut vim sententiae potius quam numerum verborum transferat. Nam oratorum princeps loquens de versione a se facta a graeco orationis Demosthenis ejusque adversarii sic peritissime ait: "Converti ex atticis.....nec converti ut interpres, sed ut orator; sententiis iisdem et earum formis, tan-quam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omne verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere." (1) Quod praeceps admodum et concinne exprimit D. Hieronymus, epistola ad Pammachium, de alia versione loquens hisce verbis: "Qua-si captivos sensus in suam linguam victoris jure transposuit."

At si Napio citatus italos hortatur ad tentandas novas latinorum versiones, qui nihilominus omnes jam latinos classicos rite italicice translatos habent, dicens plura inveniri loca in quibus dormitat, vel contra quae offendit translator, licet eruditissimus quisque, falsam interdum sententiae interpretationem tribuens; et ideo non tenuem esse laudem secundi vel tertii interpretis, qui pristinum auctorem ad accuratiorem concinnoremque lectionem vernacula sua lingua reducat; et hoc etiamsi errores vel indiserta oratio superioris tanquam faces ipsi adjumento sint cum ad ipsosmet vitandos, tum ad ornatiorem sufficiendum sermonem: quanto majori alacritate id ego non faciam loquendo cum iis qui hispana tanquam patria utuntur lingua, inter quos et mexicanii; praesertim cum perpaucae, ut omnibus notum est, latinorum

(1) Cic. de opt. gen. orat. n. 14.

classicorum hispanae adsint versiones? Quam latus undique campus, nec non uberrimae colligendae messi commodissimus mexicano exhibetur!

Et quoniam primum quidem mihi *coram data copia fandi* hac in civitate, quae merito totius Reipublicae caput est, liceat etiam animum excitare Academicorum mexicanorum, eorum, inquam, qui Latii linguam norunt, eaque oblectantur; ut communis concensu et opera novas latinorum classicorum versiones hispane exaratas intentare audeant, collatisque inter se et ad trutinam revocatis individualibus laboribus, collectionem illam publici litteratorum juris facere non pertimescant. Quod si in tenuitate mea aliquid me valere praetulerit illi viri existumaverint, exiguum quidem meum granum arenae communi aedificio impone non dedignabor. Hoc sane opus dignissimum esset Accademiae mexicanae quae nuper anno elapso solemniter inaugurari conspeximus.

### III.

At ne longius, quam par sit, mea praeterlabatur oratio, lubenter consilio Venusini assentiar, dum ait: (1)

“sapienter idem  
“Contra hæc vento nimium secundo  
“Turgida vela.”

Ipsam ergo contrahere conabor gressum faciens ad aliam dissertationis partem, nempe ad linguæ latinae necessitatem pro mexicanis qui quoquo modo litteris incumbere velint vel debeant. Quam quidem secundam brevioribus quam primam conficiam.

Historici et philologi conveniunt sermonem latinum provincias invasisse quas ferrum romanum subegerat. Sed post ruinam imperii romani et postremi ejus imperatoris in Occidente, Romuli Augustuli, tales barbarorum septentrionalium irruptiones in partes Europæ meridionales factæ sunt, et tales exinde confi-

(1) Horat. lib. II, od. 10 ad Licinium Murenam.

ctus, caedes, clades, donec barbaris pedem domumque figentibus in mitioribus et uberioribus meridiei plagiis, nova regna, novi populi super ruinas imperii exorirentur. Unde saecula tenebrarum, medium oevum appellatum, et ex necessaria victorum cum viuis collisione et admixtione, rerumque publicarum immutatione novum idioma, agreste quidem et barbarum coaluit, quod romanum rusticum (*vulgo romance*) vocabatur, mutatis aliquantulum latinis desinentiis, introductisque articulis, qui recta à pronomine *ille*, *illa*, *illud*, etc. derivantur.

Constat etiam ex historia (1) vastissimum Karoli Magni imperium saeculo VIII ratione linguarum bipartitum esse ita ut teutonicum seu germanum idioma usuveniret in parte boreali, in australi autem, prout in Italia, Gallia, et peninsula Iberica romanum rusticum invaluerit. Inde subdivisione imperii Karoli paulatim novas inflexiones et mutationes accipiens rusticum romanum et ipsum subdivisum est in plures novas dialectos, prout italicam, provincialem, catalanam, hispanam, lusitanam, et alias hujusmodi, quarum aliquae propter expolitionem pedetentim inducuntur, et elegantiam scriptorum linguae dignitate donatae, inter quas hispana et italica excelluerent.

Evidens est igitur recentem linguam hispanam sive castellanam, ut plerique communiter vocant, latinum sermonem tanquam basim agnoscere, et licet in ea reperiatur quoque elementum gothicum, arabicum, celtiberum, graecum, quatuor tamen ejus quintae partes ad minus soli linguae latinae acceptae referri debent. Immo mirum admodum est hispanam terminaciones latinas tenacius servasse ipsa italica lingua. Haec illi constabunt, qui prima hispani dictionarii limina salutaverit.

Hisce positis sic argumentor: Impossible est ut mexicanii (idem intelligitur de quibuscumque hispana utentibus lingua) litteris quidem vel scientiis dediti, quamcumque demum conditionem in societate civili sortiantur, qui passim vel scribere, vel discutere, vel publice perorare hispane adstringuntur, id recte,

(1) Cesare Cantù, Storia Univ., Ep. 11, capo 28.

orthographice, proprie et concinne peragant, quin serio prius studio linguae matris, nempe latinae, aliquod tempus impenderint.

Et licet classicos hispanos *manu versent nocturna*, ut ait Horatius, *versent diurna*, eos sibi imitandos proponentes, nunquam tamen eorum quispiam hoc perfecte attinget, si ignarus extet linguae latinae. Persaepe enim de quarundam constructionum gyro exactam rationem sibi reddendo impar nutans haerebit, atque *ἐτυμον* verborum ignorans, eorum quoque vim et rectam scribendi rationem penitus ignorabit.

Hac veritate persuasi mexicani legumlatores Lege Organica publicae instructionis decrevere ut linguae latinae saltem rudimenta quosdam Scholae Praeparatoriae tyrones, eos nempe qui ad Medicinae, Pharmaceutices et Jurisprudentiae facultates adspirent, publice edocerentur.

Lex tamen organica hac in re additamentum desiderare videatur, ut recte animadvertisit clarissimus moderator noster D. Gabino Barreda in sua epistola ad gubernatorem Status Mexicani D. Riva Palacio, scilicet ut lex, quae quosdam tantum Scholae Praeparatoriae alumnos ad studium linguae latinae adstringit, ad omnes indiscriminatim extendatur. Omnis enim, qui ad quamcumque litterariam facultatem animum intendat, lingua latina indiget, ut vernacula suam, nempe hispanam, perfectius calleat, eamque opportune adhibeat. Neque video cur haec additione proponi non posset ab eo, cuius refert, auctoritati competenti.

Dices, rationes quae militant pro utilitate et necessitate linguae latinae, easdem et in favorem linguae graecae militare.

Si utilitatem tantum respicias, non nego easdem ferme esse; etenim quum graeci magistri romanorum extiterint, licet interdum ab istis quidem non solum acquari, sed etiam superari visi sint; nemo non videt quantum litterae etiam hispanae a studio graecorum classicorum augeri possint. Quoad necessitatem autem non par est ratio. Nam quum praecipuum fundamentum linguae hispanae sit latina, haec omnimode necessaria facta est, ut jam demonstravimus. Lingua autem graeca, si technologiam

*Scripsit in  
directo aperto en la pagina anterior.*

sive scientiarum, sive artium liberalium, quae omnibus Europae recentioribus idiomatis communis est, excipias, non eamdem praesefert necessitatem. Ast quoad hoc jam a lege provisum, quum cathedram graecarum radicum instituerit. Respecta utilitate, quum haec non omnibus communis fieri possit propter nimiam brevitatem temporis studii concessi, relinquitur arbitrio cujuscumque, qui ampliorem litteraturae cognitionem haurire cupiat, sponte prosequendi hoc studium, expletis omnibus illis, quae ad optatam scientificam facultatem sunt requisita. Et hoc sensu, ni fallor, etiam lex statuit, ut si quatuor saltem alumni, se se ultro offerant, cathedra linguae graecae aperta maneat. Et utinam illi quatuor invenirentur! Etenim, duce praeclaro praceptore, collega nostro D. Oloardo Hassey, qui ut egregius hellenista omnibus innotescit, uberem litteris septem suisque civibus juvamen hoc utique studio adferre possent.

#### IV.

Restat ut de ratione docendi tyrones linguam latinam pauca hic delibare intentem:

Antequam de methodo ad docendum magis accommodata disseram, recte definiendus est scopus quem sibi quisquam cum docendo tum discendo praefigat. Potest enim quis docere discipulos linguam latinam, ut ipsi apti fiant ad interpretandos et traducendos auctores, praesertim eos quibus opus esse potest quibusdam alumnis, ut illis qui jurisprudentiae vel medicinae vel pharmaceutice operam daturi sunt; tales sunt v. gr. qui de philosophia in genere, vel de jure naturali, gentium, romano vel canonico scripsere, vel de medicina et scientiis iis adnexis, prout sunt aphorismata Hippocratis et Galeni, Cornelii Celsi opera, Botanica Linnaei, Pharmacopaea, et his similia. Potest ulterius quis discere ad latine scribendum, tum demum ad loquendum, quod ultimus gradus censemur studii cujuscumque extranei idiomatis.

Si Legem Organicam instructionis attendamus, prima tantum pars a tyronibus exigitur, nempe interpretatio auctorum. Porro de methodo facilius hue pervenireni disserere sat est.

Et primo quidem clarissimus Rollin (1) Galliae praeceptoribus gallice scriptam grammaticam commendat pro gallicis scholis: a fortiori dicimus necessariam esse mexicanis grammaticam hispane scriptam. Primum quidem quia suapte natura docemur agnotum per ignotum explicare velle absurdum esse, praesertim cum agatur de rudimentis; tum propter intimam affinitatem quae filiae communis est cum matre, et ut sic origo hispanarum vocum clarius pateat; tum demum ut discant discipuli hispanos idiotismos latine, et vicissim latinos hispane reddere. Quod certe non assequeretur grammatica v. gr. gallice, vel anglice, vel italicice scripta, ideoque idiotismis earum linguarum necessario infarcita, licet auctor eruditus caeteroquin esset.

Deinde studium hujuscemodi tripartitum esse, seu in tres periodos dividi vellem; in quarum prima analogia penitus tradenda et ediscenda; non theorice tantum, sed practice nomina, pronomina, verba declinando tum voce tum scripto juxta varias eorum inflexiones, comparativa et superlativa formando, et seriem plus vel minus amplam partium orationis indeclinabilium memoriter discendo cum propria earum significatione hispana. Utile erit hic elementa declinationis latinae clare dissolvere, et huic respondentes articulos et praepositiones hispanae linguae opportune indicare, item elementa conjugationis cum significationibus grammaticae hispanae respondentibus. In quo non parvo adiumento erit praeceptor grammaticam latinam Burnouf consulere.

Notionem autem modi optativi, potentialis, permissivi, conditionalis, de quibus Donatus, Servius, Quintilianus aliique veteres grammatici loquuntur, quosque generatim recentiores praetermittunt, in sequentem periodum reservet, ne obscuritatem teneris adhuc discipolorum mentibus facessat.

(1) Rollin, *Traité des Etudes*, Livre 1, Chap. 3.

Cavere tamen debet praeceptor ne discipulos ad altiorem cursum evehat, nisi prius illi constet ipsos analogia recte imbutos esse, quae sane totius linguae fundamentum est, quod ni solide jeceras, quidquid superstruxeris, corruet.

Sub finem hujus periodi poterit praeceptor faciliores quasdam syntaxis regulas tradere, et quaedam fragmenta classicorum illis explicare et traducere hispane, dematis tamen vel mutatis constructionibus paullo difficulterioribus. Nullus est enim bonae latinitatis scriptor qui difficultates non praebat tyronibus hujus periodi farme insuperabiles; ex quo horror et odium vel a primordiis ipsis ingeritur formosae hujus linguae. Sunt qui proponunt Epitomen Historiae Sacrae Lhomond, quibus non oppono, quamvis utilius mihi videtur opus Heuzet, cui titulum fecit: *Selectae e Profanis Scriptoribus Historiae*.

Novi quosdam esse innovatores qui omnia reformare cupientes, et quod bonum et optimum a viris doctis et prudentibus agnoscitur rejicientes, a calce potius quam a capite incipiunt, fragmentum classici tyronibus proponentes vel a prima lectione, inextricabilem confusionem tenerae eorum menti ingerentes: quod quidem si in linguis recentioribus et vivis vix tolerabile videtur, quoad antiquas vel mortuas figmentum potius quam methodus a viro intelligenti appellabitur.

Paucis abhinc annis casu accidit ut prae manibus haberem grammaticam latinam anglice scriptam juxta methodum Ollendorffii a quodam, crederem, Statuum Unitorum Americae Septentrionalis indigena, et quaedam folia oculis percurrens, curiositate quidem affectus, eam, ni dicam soloecismis, barbarismis sane refertam comperui, eamque, ut par erat, oblivioni extrusi. Ollendorffii methodus excellens quidem quoad recentiora idioma-  
ta; eaque usus sum in exaranda grammatica linguae italicae, sed quoad vetera hucusque rebellis.

En quam apposite hac de re loquitur Quintilianus, lib. 1, cap. 7: "Quod etiam admonere supervacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique a posterioribus inciperent: et dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, compendio morarentur."

In secunda periodo tradendae sunt regulae syntaxis. At vero ita ut nudis theoriis minime contentus sit sapiens praceptor, sed in praxim eas redigendo, interserendo themata hispana et phrases iis regulis accommodata latine a tyronibus reddenda; quibus addatur interpretatio et versio classicorum, incipiendo a facilioribus, prout sunt quidam historici, puta Cornelii Vitas, Commentaria Julii Caesaris, alias epistolas Ciceronis, aliquem librum ejusdem de Officiis, de Amicitia, de Senectute, etc., prout ipsi utile et opportunum videbitur. Quoad poetas utile erit quasdam Phaedri fabulas, quasdam elegias Libri Tristium Ovidii, et aliquam Virgilii eclogam interpretari.

Nec supervacaneum putetur thematum exercitium, hoc est versiones ab hispano in latinum, cum quia hic usus optime invauit in scholis cultarum nationum maxime huic linguae addictarum, ut in Italia, in Gallia, in Germania, in Anglia; tum quia mihi longa experientia constat facilius esse vernacula linguam ad latinam, quam e contra transferre; tum demum quia hoc exercitio quasi manu ducentur discipuli ad meliorem classicorum latinorum intelligentiam. Quod quidem in scholis quas in Republica Mexicana cognoscendi opportunitatem habui, magna alumnum jactura generatim praetermissum vidi. Sed ad hoc rite periciendum opus est ut praceptor ipse sic linguam latinam calleat, ut ad eam scribendam currenti quidem calamo. uti dicitur, aptus sit.

Dices thematum exercitium iis tantum inservire qui latine scribendi vel loquendi rationem ediscere cupiunt.—Respondeamus primum thematum scopum esse syntaxis regulas defixius in mente sculpere; et licet aliquid juvent tyronem ad scribendum vel loquendum, attamen longe insufficientia per se esse patet ad secundum hoc objectum assequendum, ad quod insuper studium rhetorices necessario adjiciendum, quod in Gallia et in Italia biennio vel triennio absolvitur. De hoc tamen sileo, quia non est hic Scholae Preparatoriae scopus.

Quod autem magis refert interpretatio est et versio auctorum, latinorum supra quam quaedam mihi maximi momenti adnotanda.

In primis, quum latini hyperbato et ellipsi crebre utantur; quod primo intuitu obscuritatem quandoque et difficultatem praebet, constructionem instituat oportet praceptor, vel a tyronibus provectoribus exigat; quae quidem nihil aliud est quam partes orationis in ordinem naturalem struere, eas supplendo quae desint: ad quod requiritur ut saltem in confuso sensus singularum verborum deprehendatur, quodque vel dictionarii opa vel viva voce magistri assequetur discipulus.

Secundo moneat magister, vel quaestiones ponat super natum, derivationem, inflexiones, uno verbo super analogiam vocabulorum aliquanto difficiliorum; quod sane viva et practica repetitio erit eorum quae superiori periodo jam didicerat tyro.

Tertio vocabula composita vel derivata in suas partes resolvat, et opportune usum particularum vel praepositionum, quae in compositionem intrant, explanet. Novimus v. gr. praepositionem *in* diversam significationem portendere. Nam saepe est elementum negativum *non* vel *sine* aequivalens. ut in verbo *indolens*, *indolentia*, quasi dicas *non dolens*, *non curans*, *non dolentia*, *non curantia*, *sine dolentia*; saepe affirmativum est, sensum primitivum retinendo, quod est *intus*, *erga*, *in favorem*, etc., ut in verbo *ingredior* quasi *intus gradior*, et in verbo *inauguro*, cuius simplex est *auguro* vel *auguror*, quod idem est ac *auguria captare*, seu ex avium volatu, vel cantu, vel pastu, futura divinare; nam interdum idem sonat ac simplex, hoc est *augurare in* vel *supra aliqua re*, ut Livius usurpat, lib. 1 cap. 7; *Palatinum Romulus*, *Aventinum Remus ad inaugurandum capiunt*, nempe *ad auguria captanda*. Quandoque *inaugurare locum* idem est ac illum, capto augorio (modo diceretur solemni aliqua caeremonia), ad aliquam rem gerendam vel significandam consecratum, electum declarare, seu aliis verbis *augurium capere in*, *erga*, *propter illum*, sic Livius lib. 3 cap. 20: "Augures jussos ad "Regillum lacum exciverat; lacumque inauguri, ubi auspicato "cum populo agi posset." Et eodem ferme sensu ad personas transfertur, cum munus aliquod publicum solemniter suscipiant; sic id. Livius lib. 30 cap. 26: *Augur in locum ejus inauguratus est*

*filius*, hoc est augurio consecratus. Idem dicit de re quacumque quae inauguretur. Quibus in locis praepositio *in* sane est elementum affirmativum. Item partes compositi *possum* resolvens invenies ex *potis* et *sum* coalescere; *absum* ex *sum* et *ab*, scilicet *sum distans ab*, et sic passim de caeteris.

Quarto quandoque etiam juverit adnotare quorundam verborum proprietatem, vim, rationemque quam habere possunt cum hispanis, quae ab ipsis originem trahunt, hoc est etymologiam hispanarum vocum, prout se se offeret occasio. Exemplo sit nomen *virtus*, quod plures habet apud auctores profanos acceptiones, quales sunt perfectio quaepiam cum corporis tum animi, vigor, bona dispositio, vis alicujus rei etiam materialis, fortitudo, constantia in perferendis adversis vel periculis contempnēndis; a *viro* quippe, qui communiter majori fortitudine pollet, derivatur, et hoc ultimo sensu verbo hispano *valor* adamussim responderet. Ex quo Ovidius distinguit *probitatem* a *virtute*, cum e Ponto scribens ad uxorem, lib. 3, eleg. 1, queritur quod ipsa non audebat apud Augustum vel Liviam pro marito intercedere:

“Nota tua est probitas, testataque tempus in omne,  
“Sit virtus etiam non probitate minor.”

Demum pro fortitudine etiam militari accipi passim constat.

Aliud ponemus exemplum, Sit v. gr. vox *humilis* et ejus derivatae, quae certe ab *humo* (vulgo *tierra*) formantur. Si auctores antiquos romanos consulas, proprie est inferior, vel parum a terra elevatus (*bajo*), translate vero vilis, abjectus, pauper tum animo tum fortuna vel conditione. Sexcenta quidem auctorum exempla citare possem, satis erit nonnulla afferre. Cic. Tusc. 5: “Arbores et vites, et ea quae sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt.”—Id. 1 de Fin. cap. 15: “Succumbere doloribus, eosque humili animo imbecillique ferre, miserum est.”—Liv. lib. 3 cap. 19: “Humillimus homo de plebe.”—Sed longe aliam acceptiōnem ei tribuerunt patres Ecclesiae, seu christiani; ipsi enim *humilem* dicunt, qui virtute praeditus est opposita superbiae, qua nempe quis vera sui cognitione sibi ipsi vilescit, ut ait D. Bernardus, hoc est demisse de se sentit. Unde *hu-*

*militas* christiana. Hoc latini non *humilem*, *humilitatem*, sed *modestum*, *modestiam* appellabant. Sic Horat. lib. 1 ep. 18: *Plerumque modestus Occupat obscuri speciem.*—Et Cic. lib. 13 Fam.: “Modestum hominem cognosces, et prudentem, et a cupiditate omni remotissimum.”—Aliiquid nunc de vocibus hispanis a latinis derivatis. *Humilde, humildad, humildemente* sensu chistiano usurpantur, *humillacion, humiliar* saepius sensu latino, ut in illo Ammiani lib. 30 cap. 10: “Ad humiliandum celum studinem potestatis.”

Quinto non inutile erit quandoque synonymiam verborum indicare, seu potius quo verba synonyma inter se differant. Sint exempli gratia verba *socordia* et *desidia* quae idem significare primo intuitu videntur, nempe vulgo *negligencia*, *pereza*, *floriedad*, etc.; sed attentius differentiam inter utrumque secernimus. Nam *socordia* quasi sine corde tarditatem animi respicit in meditando, necessaria prospiciendo, etc.; *desidia* vero compositum a *sedeo* et de inactionem corporis sonat, unde illud proprius *indolentiae* vel *segnitiae* accedit. Sic Terentius Andr. 1, 3: “Enimvero, Dave, nihil loci *segnitiae*, neque *socordiae*.” Ubi vetus interpres ita monet: *Segnitia ad agendum, socordia ad considerandum*.—Item Auct. ad Her. lib. 2: “Affert socordiam atque desidiam.”—*Socordia* insuper interdum pro *stultitia* usurpatur. Sic Suetonius in Claud. cap. 3: “Si quem *socordiae* argueret, stultiorem ajebat filio suo Claudio.” Idem dicatur de adiectivo *socors*.

Sexto, auctores interpretando, regulae syntaxis explanentur, ut sic studium syntaxis fiat practicum, hocque exercitium sit continua regularum recordatio. Poterit etiam praceptor, quando opus sit, elegantiam quarundam dictionum et phrasium vel constructionis indicare.

Septimo tandem versio, non classica de qua supra diximus, sed scholastica litterae auctoris, quoad fieri potest, accedere debet, ut sic melius vis verborum intelligatur. Hoc tamen non vetat, quominus praceptor hanc cum aliqua classica traductione, ubi adsit, comparare possit, quod tyrones summopere juvabit ad sty-

lum sibi efformandum in proprio idiomate. Quod si littera latina exakte hispane reddi non possit, quin sensus torqueatur vel obscuretur; tunc optime se se habebit praeceptor aliquid addendo vel mutando (servato tamen sensu), ut sic versio indoli linguae hispanae accommodatior extet.

Valcat sequens exemplum, initium nempe epistolae 9 lib. 1 Plinii:—“C. Plinius Minutio Fundano suo salutem.—Mirum est “quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur; pluribus cunctisque non constet. Nam, si quem interroges: “Hodie quid egisti? respondeat: Officio togae virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, “ille in advocationem, ille in consilium rogavit. Haec, quo die feceris, necessaria, eadem si quotidie fecisse te reputes, inania vindentur: multo magis cum secesseris. Tunc enim subit recordatio, quot dies, quam frigidis rebus absumpsi!”—Si primam clausulam sic litteraliter vertas: *Es admirable como á cada dia en la ciudad le asista su razon, ó parezca asistirle; á muchos y á todos no les asista;* clausula sic translata, licet litteram latinam praeseferat, sensum tamen habet, ni contortum, saltum subobscurum. Comparando igitur quae praecedunt cum iis quae sequuntur, melius sic vel simili modo convertes: “Cayo Plinio saluda á su querido Minucio Fundano.—Es cosa muy extraña “el ver como tenga uno cada dia en la ciudad (Roma) su ocupacion razonable, ó parezca tenerla; y tomando en consideracion “muchos de ellos y todos juntos, le falte. Pues, si preguntas “á alguno: Qué has hecho hoy? te responderá: He asistido á una “funcion de toga viril; me he hallado en unos desposorios ó en “unas bodas; este me llamó para firmar un testamento; aquel me “suplicó paru que abogara por su causa, y aquel otro que asistiese á una junta. Estas cosas te parecen necesarias el dia que “las hagas; pero como te pongas á pensar que cada dia has hecho lo mismo, te parecerán vacias; tanto mas cuando te hubieres rerirado á la soledad. Pues entonces recuerda uno: ¡cuántos “días, y en qué frioleras los he gastado!”

Saepe auctor difficultatem facessit sive constructione inversa

et intricata, sive aliis syntaxis figuris quas adhibet, sive allusionibus historicis quae ad publica vel privata facta respectum habent. Si difficultas ex constructione proveniat, ponantur in ordinem verba. Ita obscurus iste locus Livii, lib. 1 cap. 4: “Uteumque erit, juvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et me ipsum consuluisse,” sic construendo evidens fiet:” Uteumque erit, juvabit et (*nempe etiam*) me ipsum consuluisse pro virili parte memoriae rerum gestarum populi principis terrarum.”

Si ex aliis figuris obscuritas derivetur, sensus inspiciatur et explanetur. Sic idem Livius raptum Sabinarum describens sic ait: “Hinc patres, hinc viros orabant [*nempe, Sabinae mulieres*] “ne se sanguine nefando socii generique respergerent: ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberum hi progeniem.” Hic duae sunt locutiones intellectu difficiliores. Prima est *ne parricidio macularent partus suos*, cuius sensus est, *ne se ipsos, socii nempe et generi, mutuo internecando, notam eorum criminis, parricidii, filii suis infigerent.* Altera est in hisce verbis, *nepotum..... liberum.....progeniem*, quae idem hic sonant ac *nepotes, liberos*. Hac explanatione utique evanescet difficultas.

Si autem difficultas ab allusionibus historicis ortum habeat, haec tolletur, si praeceptor non ignarus admodum sit historiae, mythologiae, morum, rituum et antiquitatum romanarum, et si tempus desit alios auctores perscrutando, eruditos commentatores consulat. Sic Cicero ad Appium Palchrum scribens, lib. 3 cap. 13, sic ait: “Quasi divinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum; sic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inserviebam honori tuo.” Qui locus, licet fideliiter et litteraliter translatus, nullum sensum referet, nisi prius intelligatur quodnam sit officium de quo hic loquitur Tullius. Sed ex aliis ejus epistolis, vel ex historia, vel ex commentariis apparabit Ciceronem hic alludere ad impetratam pro se ab Appio supplicationem, quae consistebat in publicis precibus et sacrificiis eorum Diis oblatis in gratiarum actionem pro insigni aliqua vice.

toria, et occasione tituli *imperatoris* alieui duci victori a Senatu confirmati, quod summo honori sibi romani tribuebant.

Item, Livius lib. 2º n. 5 descriptionem supplicii filiorum Brutti, qui tunc consul erat, sic concludit: "Nudatos virgis caedunt securique feriunt; cum inter omne tempus pater, vultusque et os ejus, spectaculo esset, eminente animo patrio inter publicae poenae ministerium." Verba *animo patrio* duplē possunt praebere sensum. Sunt enim qui illa interpretantur de amore Brutti, consulis quidem, erga patriam, qui amorem ergo filios vincebat; alii vero de ipsius tamquam patris amore erga filios, qui inter durum hoc publicum ministerium, ipso invito, pelluebat. Duplici hoc exposito sensu aliquas addet rationes praceptor, ostendens cui ipse potius inclinet, quod et tyronum ingenium acuet, et eos paulatim critices legibus assuefaciet.

Hucusque exposita satis erunt ostendendo qua demum praceptor via incendum ad auctores tyronibus interpretandos.

Videamus modo quid in tertia studii latinitatis periodo sit agendum. In hac, quod ad theoremen spectat, explicabuntur figurae syntaxis, constructiones difficiliores, et prosodia, seu quantitas syllabarum, ut recto accentu voces emitti possint. Quoad praxim auctores difficiliores interpretari oportet, prout Sallustium, Livium, Quintum Curtium, vel alias historicos, et inter poetas Martialem, Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium, et alias hujusmodi, ut prudenti praceptoris visum fuerit, themata etiam hispana intercalando latine convertenda, ut in superiori periodo, eadem ferme et respective servando quae supra adnotavimus.

Dico prosodium et quantitatem syllabarum, non metrologiam quae ad artem poeticam, et haec ad Rheticam potius pertinet, quam ad grammaticam, de qua quidem hic agimus. Metrologia enim iis tantum valet qui carmina latina scribere et poesim colere intendunt, non iis qui auctores solummodo scientiarum, quibus postea incumbent, interpretari desiderant, quod est scopus a Lege Organica intentus.

Et sane tempus incassum terere esset, docere tyrones hujus

studii primarii latinitatis, quid sit versus catalecticus, acatalecticus, brachycatalecticus, hypercatalecticus, scandere versum jambicum, scazonem, dimetrum, trimetrum, tetrametrum, asclepiade um, archilochium, choriambicum, sapphicum, adonium, phaleucium, glyconium, pherecratum. etc.; quid sit ode monocolos, dicolos, tricolos, distrophos tetraphros, et interea analogiam vel syntaxim turpiter negligere; ita ut si quaeras in fine curriculi ab aliquo ex hisce discipulis, quaenam sit derivatio et declinatio vocis *sylvestrem* v. gr., aut tempus praeteritum imperfectum vel perfectum verbi *possum*, nutantem creveris et haerentem, vel absonna respondentem.

Sed repones aridum admodum fieri studium prosodiae pure theoreticum absque ulla applicatione. Ad fastidium vitandum satis erit versum hexametrum et pentametrum noscere et scandere, sed parce.

## V.

Ac ne quid videamus reliquum facere, quaeres quanam demum pronunciatione utendum, cum unaquaque natio exulta propriam vernacula in latinam linguam inserere velit.

Fatemur equidem nos exactam vetustiorum romanorum pronunciationem ignorare, praesertim modum efferendi et secernendi vocales breves et longas, quas antiqui clare distinguabant etiam in medio dictionis, ut constat ex Quintiliano. Attamen illud comprobatum est recentem italorum, et praesertim romanorum pronunciationem proprius ad antiquam accedere, et parum ab ea differre; alioquin magis sonora, magis latinae linguae indoli consona videtur, ut demonstravi quandam in dissertatione, quam in lucem edidi in provincia Yucatani, ubi diu docendae juvenuti vacavi. Secunda ab itala germana adnumeranda est, et post eam hispana, quae ambae parum ab italica absunt. Gallica demum et angla, utpote barbarae intolerabiles sunt. Etenim omnem harmoniam et venustatem sermonis, et carminum numerum de medio tollunt. Optandum esset, ut hodierna romana

pronunciatio, cuius specimen in orali experimento dabo, unica in omnibus scholis esset. Ego quidem ipse, quum in Yucatano collegiis a me fundatis praesessem, hanc pronunciationem pueros edocebam, qui in publicis experimentis romanuli videbantur; neque obstaculum erat examineribus, quum et hispanum pronunciandi modum etiam callerent. Interea, dum eruditus quoad hoc inter se non convenient, praecceptoris prudentiae relinquatur electio. Hoc enim maximi ponderis non est.

Quaeres tandem quanto temporis opus sit ad haec omnia peragenda.—Sicut tres assignavi periodos studii, facile erit inferre trium etiam annorum spatium desiderari, et consequenter tres etiam praecceptores, qui inter se mutuo opus dividere possint, quo commodius desideratum scopum assequi valeant. Nam experientia compertum habeo biennum non sufficere communite adolescentibus, quo apti fiant ad intelligendos per se soli auctores, non dicam difficiliores et classicos latinos, sed recentiores scriptores sive philosophiae, sive juris, sive medicinae, puta Justinianum, Grotium, Puffendorfium, Linnaeum aliosque hujus generis. Et hoc quidem passim expertus sum quoad discipulos qui nulli alii studio praeter linguam latinam, in quibusdam seminariis vel aliis scholis operam dederant integro biennio, et quatuor quidem horas quotidie latinum praecceptorem audiendo.

Ast, mehercle! qui fieri poterit, ut adolescentes eodem biennio una tantum hora per diem latinae scholae adstantes, aliquique gravioribus, et difficultioribus studiis distracti pares fiant interpretandis per se sine adjumento magistri cujusquam auctoribus citatis, quibus passim in studiis superioribus egere potuerint.

Equidem non ignoro Scholae Praeparatoriae instituta bino tantum annos, binosque magistros huic studio assignare. Sed quid vetat, quominus sive sapiens Moderator noster, sive Consilium Directivum (1), sive publicae instructionis Minister leve hoc additamentum Congressui legumlatorum Nationali proponat

(1) La Junta Directiva de Instrucción Pública.

qui legem impensarum ab aerario erogandarum (1) discutiendam et decernendam habet. Credere enim non valeo, prudentes Reipublicae legumlatores, evidenti utilitate, immo instructionis necessitate posthabita, sordidae parsimoniae consulturos. Et hoc quidem nomine appellanda esset: agitur enim de primo totius Reipublicae collegio studiis praeparatoriis addicto, quo undique ex provinciis confluere solent alumni; et de exigua sane impensa respectu nationis, octingentorum nempe scutorum (800\$) in annum. Hoc tamen consilii more insinuare audeo, tanquam simplex civis, Reipublicae honori consultum esse exoptans; nulla enim mihi suppeditatur auctoritas ad illud exigendum.

Instabis: Sed cur grammaticam non scribis ipse, ea divisione constantem quam asseris in thesi, una cum opportunis thematibus, quae cum praecceptores tum discipulos juvare possent?—Fatebor jampridem in animo esse grammaticam seu methodum hujusmodi exarare, et quidem longo docendi curriculo uberem materiem colligere potuisse; sed hucusque aliis distractum laboribus perficiendo imparem extitisse. Attamen arduum hoc opus confidere conabor imposterum, si clarissimis examineribus ad mexicanos adolescentes latina lingua imbuedos idoneus visus fvero, memor illius Tullii, de Divin. lib. 2, n. 4, 5: "Quod munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit? Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit industria."

Honoratus Ignatius Magaloni confecit Mexici ante diem V Novenas Majas anno Reparatae Salutis

MDCCCLXXI

(1) La Ley del Presupuesto.

## AD EXAMINATORES.

## EPIGRAMMA.

Virgilii linguam teneri, Tullive, sodales,  
 Mi per vos ephebis tradere si liceat,  
 Facundos homines quae olim celebresque poetas  
 Protulit innumeros, credite, laetus ero.  
 Nam vigil et fructum tyro decerpit opimum  
 Praeclara hac lingua, si studiosus erit,  
 Mellifluam quae italam primum hispanamque sonoram  
 Partu uno geminas edidit ipsa fera;  
 Assiduo constat doctori opus esse labore;  
 In tenui sudor, gloria non tenuis.

## AD MEXICUM.

## ODE.

Cultis si insereris, Mexice, gentibus  
 Libertate fruens, legibus optimis,  
 Et si nobilibus cerneris artibus  
 Nec non clara scientia;  
 Regalisque tua nunc aquila aequori  
 Alas si gemino tendit, et imperat  
 Late si populis pluribus undique,  
 Pressatque ungue tyrannidem;  
 Nautam tu intrepidum pectore ferreo  
 Primus qui ex italis vela dabat plagiis  
 Huc, terrasve novas regnave quaeritans  
 Grate nunc reminiscere.

Ignoram ipse tibi per freta semitam,

Europaeque procul littora pervia

Audax reserans, hic sapientiae

Primus pandit et abdita.

Ast primae interea, crede, lubens matri

Notam te faciam, insuper omnia

A te quae retuli, matre mihi altera,

Dicam commoda, gloriam.

## A MEJICO.

## ODA. (1)

Méjico, en las naciones

Si cultas, renombradas,

Grandes, civilizadas

Tu silla tienes por todas razones;

Si libertad avivas

Y bajo sabias leyes,

Honor de pueblos reyes,

Ciencias y nobles artes si cultivas;

Si sus alas extiende

Del uno al otro océano,

Altiva sí, no en vano

El águila real que los defiende;

Si á muchas playas manda,

Si aferra con su garra

Y fuertemente amarra

La negra tiranía, si se desmanda;

(1) Esta es una traducción libre de la Oda latina precedente.


Recuerda el navegante  
Intrépido, atrevido,  
Que un mar desconocido  
Con pecho varonil de diamante

Desafiar osara,  
En busca de otra tierra,  
Que á tí tambien encierra,  
Colon, de Ausónia gloria, y la encontrara.

Mostrándote el camino  
Del otro mundo viejo,  
De luz, de ciencia espejo,  
Las fuentes del saber á abrirte vino.

Yo de la Ausónia hijo,  
A mi madre primera  
De tí, madre postrera  
Por adopción, referiré prolijo

Tu hospital acogida,  
Tus gracias, tus favores,  
Los bienes, los honores  
Que de tí recibí; serás agradecida.



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN®  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UAN

DAD AUTÓNOMA DE NUEVA  
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

500